

cusum, & testem citat Muratorium. in Ant. Ital. Medii Ævi T. IV. pag. 409. At apud Muratorium non solum in hac pagina, ac dissertatione, verum etiam in indice documentorum altum de hoc diplomate silentium. Hic autem videtur commode collocari posse documentum hoc, quod præ manibus verso, Monasterio de Tilletto concessum. 28. novembris apud Eufimens. (Ughell. Ital. sacr. ed. colet. Tom. I. pag. 332.) 1187. 17. septembris an. XVIII. Regni Bononiæ (Lami loco cit. pag. 195) Hæc ego desumsi partim ex opere Olderic, quod de antiquitatibus edidit Romæ, ubi pag. 131. catalogum texuit diplomatum ab Henrico ab anno 1186. ad an. 1197. editorum, partim a Georgisch, qui herculeo plane labore in plura volumina chronologice digessit omnia, quæ apud quoslibet auctores reperit Imperatorum &c. diplomata sub hoc titulo regesta Chronologica diplom., in quibus recensentur omnis generis monumenta & documenta publica. Petrus Georgisch. Francofurti & Lipsiæ an. 1740. in fol. Tom. V. Quod opus si Olderic innotuisset, multo nobis ampliore seriem tradidisset. Cum enim apud Germanum scriptorem LXX. & amplius memorentur ab Henrico edita, ipse solum XXXII. circiter indicavit. Hisce autem catalogis nunc addenda sunt quatuor hujus Regis diplomata 1. illud, de quo agimus an. 1186. 2. anni 1191. col. 94. n. 78. 3. 1193. Geisenhusen col. 101. n. 86. 4. 1196., & extat in Hist. MS. Comitum de Blandrate, & editum fuit apud Forum Nonum XI. kal. octobris. Nunc definita diplomatis epocha, pauca mutanda ex conjectura proponam. col. 89. lin. 1314. Castro vestri legitur Castro veteri ut supra lin. 7. lin. 23. lege sive. lin. 43. M. Oppizo de Osa, legere malle M. Oppizzo de Este, ut infra. col. 95. lin. 23. ibi Marchio puncius: forte Punasius, scilicet Manfredus Marchio de Salutiis ita cognominatus. At ego potius arbitror hic agi de Puncio Marchione Ponzone, qui circa hæc tempora florebat.

MCLXXXVIII. col. 89. n. 72. Post editionem hujus documenti prolixam contigit habere membranam, eamque synchronam, in qua nonnulla decreta circa litem de juribus parochialibus inter Capitulum Aquense, ac monasterium agitatum continebantur. Licet autem in ea post Milonis decretum contineretur istud Ugonis; attamen id factum ratione dignitatis, & auctoritatis. Ut enim elucet ex Milonis epistola col. 90. n. 74. jam Ugo sententiam suam in hac causa dixerat, quæ non alia esse poterat, quam illud de quo agimus decretum; deinde ratio ipsa Canonum suadet prius ad proprium Episcopum pertinere jus dicere in rebus Ecclesiæ suæ, antequam ad Archiepiscopum provocatio fiat. En ergo, quæ ex ea correctione indigere cognovi.

Col. 90. lin. 1. Mariæ ex legitur Mariæ A quis ex lin. 5. noluerit l. voluerit. lin. 10. nuncii l. nuncius. lin. 13. dele per. lin. 17. fecerit in monasterio, & infra l. fecerit monasterio, si infra lin. 32. Aquensis Episcopus l. Episcopus Aquensis videns legi.

MCLXXXIX. col. 90. n. 73. corrige sequentia. lin. 43. dele puncta intermedia, & insere vestri. lin. 51. correctione l. correctioni. In fine habebat membrana.

Et ego Jacobus imperialis aulæ Notarius authenticum hujus exempli sigillo uno cum mulla sigillatum, in quo continebatur S. AMBROSIUS videns legi &c. MCXCI. col. 93. n. 77. In temporis computatione levis error irrepit, cum festivitas SS. Simonis, & Judæ non IV. Kalendas novembris, sed V. Kal. hoc anno incidit. Præterea monendus lector col. 94. lin. 21. post Cæsareæ aliquid deesse.

MCXCI. col. 91. n. 75. Hoc diploma editum prius a Benvenuto Chron. Monferr. p. 40. ed. Taur. postea ab auctore collectionis documentorum in causa Monferratenfi, ex quo illud desumsi; deinde a Ghilino in ann. Alex. ad h. a.; item a Guichenone Bibliot. Sebus. Cent. n. 96. postremo a Lunig. Cod. Ital. diplom. T. III. pag. 1763. Ex horum inter se collatione collegi hoc, quod edidi, excepta attributione temporis omnino convenire cum edito a Benvenuto, quod cæteris præstat, lectionis sinceritate, minime vero integritate: nam in eo plurium testium nomina ommissa sunt, quæ & in Guichenonio, & aliis, qui ab eo fonte sua exemplaria derivarunt, quoque desunt. Habentur autem in meo col. 92. lin. 21. 22. 23., & in illo a Ghilino prolato; quod tamen scætet nonnullis erroribus, quos libenter prætermitto. Hoc solum afferam, ubi omnes in lin. 24. de Lutre legunt ipse de Turre scripsit, quod an aliqua nitatur ratione, viderint alii. Cæterum ut innuebam notæ Chronologica hujus meæ editionis falsæ sunt. Anno enim MCXC. erat indictionis annus VIII. & imperii I. minime vero Ind. X. Imp. III. ut in meo exemplari. Neque alia omni prorsus errore carent. Licet enim annus Incarnationis cum indictione & Regni epocha conveniat, at discrepant anni imperii. Henricus coronam accepit an. MCXC. die XV aprilis a Cælestino Papa, proinde octavo decemb. MCXCI. currebat ann. Imperii II. idest secundus. Quapropter ita restituendæ notæ ann. MCXCI. ind. X. anno Regni ejus XXIII. Imperii vero II. Idcirco autem apposta est indictio X., quia hæc incipiebat computari a mense septembri, ut alias observatum a nobis est, & ostendunt documenta relata in suppl. n. 3. 10. 11. 12. 17. 19. 24. accipe hic monogrammati ab Imperatore in suo diplomate adhibiti schema.



MCXCI. col. 94. n. 78. Hoc diploma desumsi ex collectione MS. doc. in causa D. Marchionis de Rochetta Incisæ nuper definita a R. Rationalium Curia, in qua post hoc documentum referebantur observationes criticae V. C. I. B. Vaschi, quibus demonstrabat ex testium subscriptorum nominibus, ac gestis anno MCXCI. a Rege Henrico ipsum editum fuisse.